



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

Procemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



DE TRIPLICI SEMINARIO
VIRTVTVM, SIVE DE TRIBVS
VIRTVTIBVS RELIGIOSIS, PAUPER-
TATE, CASTITATE, ET OBEDIENTIA.

LIBER QVINTVS.

PROOEMIUM.



GEDVM, stemus
promissis, & post-
quam fundamentum
virtutum, nempe hu-
militas, iactum est, tri-
plex nunc earumdem
seminarium commo-
stretur, vnde perfe-
ctionis studiosus, ve-
luti ex triplici lapidi-
cina politos lapides

multarum virtutum ad sui operis molitionem extrahat, vel tanquam ex fontibus niuiolos aquarum salutatum deducat. Nos enim, in libri precedentis initio, serualo pauperculo comparauimus, qui domino suo, domum edificare cupienti, locum edificationi aptum ostendat, & vbi sint lapidinae, pro lapidibus extrahendis, edicat. lamque dominis nostris, id est viris iustis, perfectionem sitientibus, locum aptissimum, extra quem nullus est alius, ad extruendam arcem perfectionis, nimirum humilitatem, quasi digito demonstrauius: nunc eisdem tria quasi virtutum seminaria pro excidendis his spiritualibus lapidibus aperiamus. Hac autem sunt tres praecipuae virtutes, Paupertas, Castitas, & Obediencia, quas omnes viri spirituales pro suo modulo, aut sui status conditione sectantur, sed praecipue religiosi, quia se voto ad eas custodiendas obstringunt, in non mediocri perfectione habere tenentur. His pretiosissimis gemmis Christus Pontifex noster, ac caput, seu princeps cunctorum religiosorum effulsit, vt Paulus testatur est, dicens: Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excellentior caelis factus. Quibus verbis & finem status nostri, & praemium eius, & tria substantialia vota, quibus continetur, adumbrat. Christus Pastor noster fuit sanctus; & exemplar sanctitatis, & vt inquit Ambrosius, in omni bonitate praecipuus. Hic autem est finis, cuius causa a mundo discedimus, vt per veram & omnimodam (quantum potest humana fragilitas) imitationem eius, sancti & perfecti simus. Fuit ille innocens, qui nulli, verbo aut opere, iniuriam intulit, qui potuit sine vlla arrogantia dicere: Quis ex vobis arguet me de

A peccato?] & multo melius quam Samuel se aduersariis iudicandum, aut examinandum obicere. Hic munere gubernatoris perfunctus, dixit ad populum: Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut alium: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. Quanto melius Redemptor noster id diceret, qui non tantum a nobis nihil abstulit, sed sua ac se ipsum nobis contulit, & cum diues esset, pauper pro nobis factus, nihil possidere sustinuit? Ita & nos per custodiam paupertatis innocentes esse conemur, vt dum omnia relinquimus, & desideria rerum huius saeculi a cordibus nostris abscindimus, nulli iniuriam inferamus. Fuit ille impollutus tanquam Virgo, & Virginis Filius, & virginum sponsus, & omnis puritatis hominum & angelorum, fons & origo, qui carnem induit, non quidem vt se carnis illecebris inquinaret, sed vt carnem nostram mundaret, & castam ac puram redderet. Ipse sponsus est Ecclesiae, quam spiritu sibi copulans, non ad corruptelam, sed ad augmentum integritatis adiunxit. Quare huius coniugij sacri auspex, vel pronubus, ait: Amulorenim vos Dei amulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Huic viro nostro nos impollutos, contaminatosque seruamus, cum virtutem castitatis voto complectimur, & corpus nostrum ab omni carnis sorde custodimus. Fuit ille segregatus a peccatoribus. A quibus peccatoribus? Ab illis certe primis peccatorum principibus, Adam & Eva, qui per inobedientiam a Deo descuerunt, & sanctissima eius praeccepta violarunt. Horum hic Dominus peccata damnauit, & personas absoluit. Nam factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, deleuit chirographum decreti, quod erat contrarium nobis,] & Patri suo nos reddidit gratiores. Eum autem sequimur, cum per obedientiam, quam voto quoque sumus polliciti, ab illis primis peccatoribus separamur, & transgressionem omnem eorum quae iussa sunt nobis, abiciamus. Ille tandem, qui fuit innocens, impollutus, & segregatus a peccatoribus, & plane sanctus ac purus, excellentior caelis factus est, & vniuersis Sanctis. Angelisque, in im-

1. Reg. 12. 3.

2. Corin. 11. 2.

Philipp. 2. 8. Coloss. 2. 14.

Hebr. 7. 26.

Ambros. ibid.

2o. 8. 46.

mentum

mentum præpositus, ut sciamus quod illi, qui per paupertatem fuerint innocentes, per castitatem impolluti, per obedientiam, à peccatoribus segregati, & per finem, ad quem hæ virtutes tendunt, nimirum per Charitatem, Sancti, atque perfecti, ad magnam gloriæ celsitudinem in cælis ascendent.

Merito autem his tribus virtutibus insignitus magnum & copiosum in cælis præmium expectat: quoniam hæ sunt aliarum virtutum seminaria, & beata sanctæ perfectionis exordia. Sed quoniam pacto sunt aliarum seminaria virtutum? Multis quidem modis. Primum, quoniam impedimenta virtutum remouent, ut Thomas Aquinas ait, & obstacula perfectionis abscindunt. Nam quoniam sunt omnium virtutum impedimenta, ac perfectionis obstacula? Nonne illa magna & terribilia, quæ Ioannes Apostolus verbis paucissimis comprehendit: Quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ? At Paupertas tollit concupiscentiam oculorum, & desideria opum, ac rerum sensibilem, quas oculis videmus, & corde concupisimus. Castitas tollit concupiscentiam carnis, & appetitum comprimit voluptatum, in quas caro nostra, nisi loris continentia teneatur, quasi bestia indomita fertur. Obedientia remouet superbiam vitæ, & ambitionem dominandi, cum homo propter Deum prælato subiicitur. His autem impedimentis sublatis, facile est omnes virtutes morales, quæ aduersus istos hostes pugnant, accerere, & in mentem introducere. Deinde triplex hæ virtus, est aliarum initium, quatenus nos huius sæculi sollicitudinibus liberat, quæ non sinunt nos actibus virtutum intendere. Volo vos, inquit Paulus, sine sollicitudine esse. Et id cuius rei gratia? Non alterius certe, ut ipse statim subdit, nisi ut solliciti simus eorum quæ Domini sunt. Nimia enim rerum huius sæculi cura abicienda est, ut nos rerum diuinarum cura sollicitet. His verò sæculi sollicitudinibus tres prædictæ virtutes vehementer obstant. Cura nos rerum exteriorum, & possessio bonorum temporalium, inquietat? Sed hanc Paupertas potenter abiicit, quoniam non pungent nos, quæ iam pro nihilo duximus, & illis renunciantes non possidemus. Sollicitudo vxoris, & filiorum alendorum turbat? Sed Castitas hac perturbatione nos eximit, quia vxorem filiosque non habens, eorum minime sustentatione turbatur. Dispositio propriarum actionum nos distrahit, & à desiderio virtutis auertit? Sed Obedientia aditum huic distractioni præcludit, quoniam non nos, sed alius, quem in superiorem elegimus, actiones nostras dirigit, & de eis, ac de nobis vtiliter sapienterque disponit. His autem sollicitudinibus à mandatis, quæ omnem mentem exhauriunt, libera erit, ut possit virtutum actibus, ac omni perfectioni vacare.

Tres quoque prædictæ virtutes nos gratissimum Deo holocaustum efficiunt. Holocaustum quippe, illud sacrificij genus est, quo quidquid est rei, Deo consecratur, & totum in honorem diuinæ maiestatis offertur. At hæ virtutes Deo nos totos, & omnia, quæ habemus, consecrant, & quasi igne charitatis inflammant. Quid habet homo? An bona exteriora & temporalia? Hæc Paupertas abiicit, & abiicienda in odorem suauitatis absumit. An corpus, & voluptates eius? Sed hæc virtus Castitatis accen-

dit. An animam, & iudicium, & voluntatem? Sed hæc omnia Obedientia Deo subdit. Quare hoc est discrimen inter iustos, qui diuitias, vxorem, ac propriam voluntatem retinent, & iustos, qui his omnibus ob amorem vitæ æternæ renuntiant, quod illi sacrificium tantum Deo offerunt, hi verò aliquid amplius, nempe holocaustum, offerre non desinunt. Idque aperte Gregorius testatus est, in hunc modum scribens: Sunt quidam, qui adhuc mente in hoc mundo retinentur, & tamen ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, oppressos defendere festinant. Isti, in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia, & aliquid de actione sua Deo immolant, & aliquid sibi metipsis referunt. Et sunt quidam, qui nihil sibi metipsis referunt, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Domino immolant. Quid isti nisi holocaustum offerunt, immo magis holocaustum sunt? Israëliticus etenim populus primum sacrificium in Aegypto obtulit, secundum verò in eremo. Qui itaque adhuc mentem habet in sæculo, sed boni iam aliquid operatur, Deo sacrificium obtulit in Aegypto. Qui verò præsens sæculum deserit, & agit bona, quæ valent, quasi Aegypto derelicta, sacrificium præbet in eremo; quia repulso strepitu desideriorum carnalium, mentis suæ quiete atque solitudine Deo immolat quicquid operatur. Quamuis ergo, sicut dictum est, sacrificium sit etiam holocaustum, maius tamen est holocaustum sacrificio, quia mente, quæ huius mundi delectatione non premitur, totum in omnipotentis Dei sacrificio incenditur, quod habetur. Hæc ille. Si itaque iustus, mundum relinquens, gratissimum Deo holocaustum efficitur, virtutibus his, quibus mundus, & quicquid est in illo, deseritur, mirifice ad omnes virtutes acquirendas preparatur. Virtutum namque omnium exercitatio nos nostræque Deo consecrat, & quasi holocaustum pinguisimum, in honorem diuini numinis concremat. Si autem hæc, quæ dicta sunt, attentè fuerimus contemplati, manifestè apparebit, virtutes vniuersas ex hac triplici virtute, quasi ex triplici fonte, manare. Qui enim per Paupertatem bona temporalia deserit, & desiderium eorum è corde reuellit, eo ipso illorum gratia nulli proximo iniuriam irrogat, & ideo iustus est. Qui per Castitatem voluptates spernit, sensus comprimit, & ventri imperat, ne prauos in carne motus excitet, & cogitationes minus pudicas ingerat, temperans est. Qui per Obedientiam suam voluntatem, fontem malorum abiicit, & suo iudicio non fidit, & prælatis sibi datis à Deo in rebus agendis credit, prudentissimus est. Qui demum impedimentis, quæ aduersus has virtutes insurgunt, obstitit, fortis est. Ergo tres istæ virtutes ita morales reliquas connexas habent, ut ab illis nequeant separari.

Quid quod & ad virtutes Theologicas quodammodo suam potestatem extendunt, non tantum ut earum signa, sed ut fortissima augmenti ipsarum adiumenta? Bona terrena propter cælestia bona relinquere, signum est magnæ fidei; & qui id præstat, sine arrogantia, Iacobi Apostoli dictum usurpat: Et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Carnis voluptates propter delicias futuras animæ, & corpori iam immortalitate donato paratas despiciere, signum est magnæ spei: dicitque qui est huiusmodi, non tam verbo, quam opere:

Propter

D. Thom.
2. 2. q. 186
nr. 7. cor.
pore.

1. Ioan. 2.
16.

1. Cor. 7.
32.

Gregorius
Hom. 20.
in Eze-
chielem.

Inc. 18.

Pf. 16. 4.

Pfal. 142. 8. 9.

Ambr. ad c. 6. Luca.

Theophy. Luca. 18.

Haymo. Matthai 5.

Propter verbalaborum tuorum] vel pacis tuæ, quam scilicet nobis promissisti (vt interpretatus est Augustinus) vel propter verba Prophetarum tuorum, quibus nobis aeterna pollicitus es, [ego custodivi vias duras.] Voluntatem propriam iudicium que pro intelligenda & explenda diuina voluntate, proterere, lignum est magna charitatis: nam, qui id facit, sæpe in corde suo illa verba veri amatoris inculcat: Notam fac mihi viam, in qua ambulalem, quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.] Similiter Paupertas bona, mentem distrahentia relinquens, eam ad considerationem rerum fidei applicat, & ita fidem roborat. Castitas corpus in arcto constituens, vt angustiam suam ferre valeat, spem confirmat. Obedientia solam diuinam voluntatem in iussis prælatorum intuens, charitatem inflamat. Si autem magis subtilius quam vtilius addubites, quanam ratione Paupertas & Castitas, quæ partes sunt, & quasi filia Temperantiæ, & Obedientia, quæ pars est Iustitiæ, possint his virtutibus, à quibus oriuntur, & cæteris omnibus originem dare: Dicam tibi, quia sæpe mater filiam præeuntem sequitur, & domina ancillæ vestigia consectatur: reginamquæ non tantum ancillæ retro comitantur, sed & duces ac magistratus præcedunt. Sic Paupertas, Castitas, & Obedientia, Charitatem dominam ac reginam præeunt, & reliquis virtutibus Charitatis ancillis, quasi viam, qua tutò gratatur, ostendunt.

Vt autem Patres huic sententiæ astipulentur, quæ dicimus, Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, esse quasi feminaria virtutum, eis nomina imponunt, & castitulis insigniunt, quæ huic prærogatiuæ ipsarum explicandæ deseruiunt. De Paupertate hæc dicit Ambrosius: Ordine prima est, & patiens quadam, generatiõque virtutum: quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna: nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus, emergendi non habet facultatem. Et Theophylactus: Præscripsit ei (scilicet adolescenti) Dominus Paupertatem caput omnium virtutum. Et Haymo: Et quæ virtus talem inter reliquas beatitudines tenere debet principatum, nisi spontanea Paupertas? Ex ipsa enim cæteræ virtutes exordium quoddam & originem sumunt. Sicut denique ex vna radice arboris, multi rami & folia prodeunt; sic ex spontanea Paupertate, multæ virtutes generantur. Qui enim spontaneam amat Paupertatem, erit misericors per largitatem, & non tenax per auaritiam. Erit consequenter & mitis, quia diuitias non querit per iactantiam, qui Paupertatem diligit cum humilitate. Erit & pacificus, quia non erit occasio rixandi vbi non est voluntas acquirendi. Habebit etiam & cordis munditiam, quia sicut illi qui diuitias diligunt, turbulenti sunt animo; ita, qui spontaneam Paupertatem amant, solliciti sunt, quæ Dei sunt, quomodo placeant Deo.] Paupertas est humilitatis occasio, quia sicut diuites de rerum temporalium abundantia superbiunt; ita pauperes ex penuria, quam sustinent, se deiciunt. Est Castitatis fomentum, quia subtrahit nimium cibum, & potum, & mollia vestimenta, quæ luxuriæ atque impudiciæ assidere noscuntur. Est obedientiæ basis, quia animus paupertate, & humilitate decoratus, pluris æstimat securè prælati obedire, quam periculosè subditis imperare. Denique nulla est virtus, quæ paupertati non se libenter adiungat, cum per eam animum

A expeditum ad quasque studiosas actiones exercendas inueniat.

Castitatem verò horto comparauit Ambrosius, vt quemadmodum in horto plurimi fructus floresque nascuntur; ita in animo Castitatis amatore virtutes tamquam fructus suauissimi generentur. Huius sancti Doctoris verba sunt: Amat Christus generari in hortis, in quibus eum, Susanna, dum deambularet, inuenit, mori potius quam violati parata. Qui sint autem horti, ipse demonstrat, dicens: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus:] eo quod in hortis huiusmodi impressa signaculis imagine Dei, sinceri fontis vnda resplendet, ne volutabris spiritualium bestiarum, spatio cœna fluente turbentur. Hinc ille murali septus spiritu, pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortus furibus inaccessus, vitem redolet, flagrat oleam, rosam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ virginitalis inoleat. Et de eadem virtute Philo ait: Temperantiæ tamquam fundamento in anima iacto virtutes cæteras (fideles) superstruunt. Et Ioseph castissimum Patriarchæ nomen augmenti inditum est, quod ex Castitate non solum sit opibus, & potestate auctus, vt ait Ephraim, sed, & multiplex virtute ditatus. Filius accrescens Ioseph, dictum est ei, filius accrescens, & decorus aspectu.] Ille qui fuit corpore quidem pulcher, sed multo magis Castitatis splendore decorus, bis filius accrescens, vel auctus appellatur, quoniam illum Castitas vsque ad sustentiam carceris, & infamiæ, & mille periculorum, amata, ad Egypti principatum extulit; ecce vnum augmentum: & altero potiori, vsque ad multarum virtutum possessionem, sublimauit. Ex amore enim Castitatis ad contemptum sæculi, ad inuictam animi fortitudinem, ad sustentiam persecutionum, ad firmam spem in Deum, & ad alias virtutes vsque processit, vt notum sit vniuersis, hortum Castitatis ita in corde iusti fuisse plantatum, vt non tantum lilia pudoris, & honestatis candida ferat, sed & rosas, & violas, & multiplices flores aliarum virtutum emittat.

B murali septus spiritu, pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortus furibus inaccessus, vitem redolet, flagrat oleam, rosam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ virginitalis inoleat. Et de eadem virtute Philo ait: Temperantiæ tamquam fundamento in anima iacto virtutes cæteras (fideles) superstruunt. Et Ioseph castissimum Patriarchæ nomen augmenti inditum est, quod ex Castitate non solum sit opibus, & potestate auctus, vt ait Ephraim, sed, & multiplex virtute ditatus. Filius accrescens Ioseph, dictum est ei, filius accrescens, & decorus aspectu.] Ille qui fuit corpore quidem pulcher, sed multo magis Castitatis splendore decorus, bis filius accrescens, vel auctus appellatur, quoniam illum Castitas vsque ad sustentiam carceris, & infamiæ, & mille periculorum, amata, ad Egypti principatum extulit; ecce vnum augmentum: & altero potiori, vsque ad multarum virtutum possessionem, sublimauit. Ex amore enim Castitatis ad contemptum sæculi, ad inuictam animi fortitudinem, ad sustentiam persecutionum, ad firmam spem in Deum, & ad alias virtutes vsque processit, vt notum sit vniuersis, hortum Castitatis ita in corde iusti fuisse plantatum, vt non tantum lilia pudoris, & honestatis candida ferat, sed & rosas, & violas, & multiplices flores aliarum virtutum emittat.

C De obedientia denique hæc ait Gregorius. Sola namque virtus est Obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertaque custodit. Vnde & primus homo, præceptum, quod seruaret, accepit, cui se si vellet Obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perueniret. Et Augustinus loquens de ligno scientiæ boni & mali: Hæc digno scientia, ait, non est beati hominis sapientia, sed miseri experientia; vnde lignum nomen accepit, à cuius cibo est homo prohibitus: vt obedientia commendaretur, quæ maxima est virtus: & vt sic dixerim, omnium origo materque virtutum, in ea natura, cui sic datum est arbitrium liberæ voluntatis, vt eam tamen necesse sit viuere sub potestate melioris. Hæc, & alia similia, quæ passim inueniuntur apud sacros auctores, satis indicant tres istas virtutes, esse quasi aliarum fontes, ex quibus virtutes reliquæ aliquo modo promanant. Nam donis Paupertatis, Castitatis, & subiectionis excultus, impediens aliarum virtutum solutus est, & ad earum actus mirum in modum paratus, & quasi optimis instrumentis ad eas adipsas instruendus. Nunc ergo ad vtilitatem spiritualium virorum in his tribus virtutibus exponendis non nihil laboremus, ex quo & illis fortè aliqua vtilitas, & nobis sine dubio fructus non contemendus accrescet. Illis quidem vtilitas, quoniam si tyrones sint, secreta istarum virtutum addiscant; si verò iam adoleuerint spiritu, memoriæ gratia, quod

D sine labore perueniret. Et Augustinus loquens de ligno scientiæ boni & mali: Hæc digno scientia, ait, non est beati hominis sapientia, sed miseri experientia; vnde lignum nomen accepit, à cuius cibo est homo prohibitus: vt obedientia commendaretur, quæ maxima est virtus: & vt sic dixerim, omnium origo materque virtutum, in ea natura, cui sic datum est arbitrium liberæ voluntatis, vt eam tamen necesse sit viuere sub potestate melioris. Hæc, & alia similia, quæ passim inueniuntur apud sacros auctores, satis indicant tres istas virtutes, esse quasi aliarum fontes, ex quibus virtutes reliquæ aliquo modo promanant. Nam donis Paupertatis, Castitatis, & subiectionis excultus, impediens aliarum virtutum solutus est, & ad earum actus mirum in modum paratus, & quasi optimis instrumentis ad eas adipsas instruendus. Nunc ergo ad vtilitatem spiritualium virorum in his tribus virtutibus exponendis non nihil laboremus, ex quo & illis fortè aliqua vtilitas, & nobis sine dubio fructus non contemendus accrescet. Illis quidem vtilitas, quoniam si tyrones sint, secreta istarum virtutum addiscant; si verò iam adoleuerint spiritu, memoriæ gratia, quod

Amb. l. 1. de Virginit. post med.

Can. 4. 12.

Philo. de vita contemplatiua. Gen. 49. 22. Ephraim. de recta viuendi ratione. Gen. 49. 22.

Greg. 81. mor. c. 10.

Aug. l. 6. c. aduersarium legis. Pr. cap. 14. Tob. 6.

iam optime nouerunt, & opere praestiterunt, aduentent. Nobis vero fructus non tantum quia pro Dei gloria defudamus, sed quia cum incipientibus, ex his quae scribimus, aliquid proficiemus. Nam cum aliud sit dicere, aut scribere, & aliud, quae scripseris, actione complere, nos quidem haecenus dicere impolito stylo nouimus, sed utinam, quae haecenus diximus, & dicemus, in opus proferre discamus. Est autem in hoc rebus odoriferis affinis natura virtutum, ut quemadmodum manus, si semel odores atrectauerint, fragrantia eorum imbuuntur, ita & mens, quae meditando scribendisque virtutibus assidue vacat, eisdem paulatim afficitur. Dum ergo meditamur, dum scribimus, dum corrigimus, facit Deus ut virtutibus his aliquantulum exornemur, & de nostra

tepidam vitam erubescamus. Sed in hac tractatione ita procedendum est, ne opus in immensum crescat, ut in harum trium virtutum laudibus parcifimus: in his vero, quae ad praxim pertinent, reliquum huius voluminis collocemus: nam legentium mentes, quae hucusque in legendo perdurauerint, satis affectas video, ut non tam ad virtutes moueri, quam ad earum gradus cognoscendos, & perfectionem sciendam, debeant incitari. Tu Domine qui me inter non pauca, nec modica impedimenta, usque ad postremam huius voluminis partem venire tribuisti, votis meis benignus aspice, ut quod ad honorem tuum, & utilitatem tuorum seruatorum, ceptum est, tuo auxilio compleatur.

PARS PRIMA

De Paupertate.

PAUPERIAS duplex est: altera, quam nolentibus, & reluctantibus dura necessitas intulit; altera, quam volentibus, & sponte suscipientibus, desiderium perfectionis iniecit. Illa non est virtus, nec vitium, sed cum rebus medijs, aut indifferentibus computanda, quae pro sustentium qualitate, potest in malum, & in bonum trahi. Multis tamen occasio exitit mali, eo quod dum necessarijs egent, non ad tolerantiam, sed ad impatientem tristitiam permouentur, & dum volumus diuites fieri, ad rapinas, & fraudes, & proximorum iniurias excitantur. Vnde Salomon Mendicitatem, & diuitias ne derideris mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. Ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Domini. Haec autem virtus est, & praecipua multis curis nos liberans, quam omnes religiosae familiae, ut impedimenta perfectionis remouerent, pie diligentique seruarunt. Neque eundem illa paupertatis modum custodiunt, ut Ecclesia, cuius sunt partes, in hoc etiam varietate vestita in conspectu summi regis appareat. Quaedam enim, ut Bonauentura annotauit, bona, & possessiones in communi retinent, unde earum professores sustententur, licet nullus eorum aliquid tamquam proprium possideat. Huiusmodique Paupertatis forma in turba discipulorum praecessit, de quibus in actibus Apostolorum scribitur: Nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et paulo post: Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferrebant pretia eorum, quae vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Aliae vero religiosae familiae neque in particulari, neque in communi aliquid possident, sed ex fidelium elemosynis se sustentant. Earumque Paupertatis exemplar in Apostolis praecessisse compertum est: Nam illis dixit Dominus: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non perire in via, neque duas tunicas, neque calcamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo. Et verè haec Paupertas paucorum est perfectorum, illorum scilicet, qui tam robustam virtutem habent, ut possint ministerijs Ecclesiasticis cum sui & aliorum utilitate seruire, neque sine notabili distractione necessaria queritare. De quo Sanctus Thomas Aquinas, & Cardinalis Caietanus, multa verè & subtiliter disputant. An verò multitudini congruat, in qua multi essent infirmi, & non usque ad necessitatem in perfectione fundati, aliorum iudicio relinquimus. Sed quia nos non quidem religiosas congregationes regere, sed personis earum particularibus prodesse cupimus, quibus sine in communi religio habeat, sine non habeat, eadem debet inesse Paupertas, ideo omnibus illis deinceps in hac tractatione indifferenter, & sine ulla distinctione loquemur, & huius sanctae virtutis perfectionem illis (Deo fauente) declarabimus.

Quid sit Religiosa Paupertas.

CAPVT I.

TRAGTATIONEM hanc à definitione Paupertatis ordiamur, quae dum eius naturam aperuerit, ipsius quoque desiderium accendet, & praestantiam explicabit. Paupertas igitur est, ob amorem Dei, & desiderium perfectionis, omnium rerum temporalium abdicatio, opere & voluntate. Idem intelligitur ex quadruplici genere Hominum, quos Haymo Albertitensis Episcopus aptè distinxit. Quidam enim sunt nec pauperes rebus, nec spiritu, nimirum diuites superbi, de quibus ait Sanctus David: Ecce ipsi peccatores,

et abundantes in saeculo, obtinuerunt diuitias: qui facultatibus locupletati, & illis nimie adherentes, mente sunt superbi, & spiritu turgidi. Alij sunt Pauperes rebus, sed non spiritu: illi scilicet, qui nihil quidem possident, sed multa possidere concupiscunt: & cum corpore & ventre sint vacui, desiderio vero, & voluntate sunt pleni. Alij sunt pauperes, non rebus sed spiritu, quorum est diuitias ipsa possidere, sed eis corde non adherere, nec sublime sapere, ut ait Paulus, nec in incerto diuitiarum sperare. Alij denique sunt pauperes rebus, & spiritu, qui nempe opere diuitias propter Deum, & facultates deserunt, & multo magis affectu cordis abiciunt. Hi autem sunt Ecclesiae religiosi, quando hoc egregium opus voto confirmant. Eorumque virtus vocatur Religiosa Paupertas.

Prou. 30.
8.

Bonaui. in
Apolog.
Pauperu
resp. 3. p.
1. a. 1.
Astor. 4.
32.
n. 34-35.

Matth.
10. 9.

D. Tho.
22. q. 188
art. 7.
Cont. ib.

Haymo
Matth. 5.

Pf. 72. 12

T. 11